



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 48. De bonis quæ Religiosus Status complectitur: quàm excelsum  
hoc sit beneficium; & quid Religiosus erga Deum faciat; quidquæ Deus  
erga Religiosum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

quem in altera aut non assequeretur, aut non  
 perseverare, in ea, eò quòd illi desit ad id  
 præstandum facultas, sicut in proxima Medi-  
 tatione est dictum. Ex hac consideratione,  
 gratias Deo D. N. agam, ob eam curam, quam  
 de omnibus Religionibus gerit; confidens in  
 eius Divina providentia, quòd sit illas ad  
 suam gloriam conseruaturus; quisque etiam  
 eam fiduciam habere potest, quòd sit ad eam  
 Religionem vocatus, quæ magis illi expedie-  
 bat; animum sibi faciens ad perseverandum,  
 & ascensiones, & incrementa virtutum, in  
 corde suo disponens, in loco; in quo à Deo est  
 collocatus, donec perueniat ad videndum  
 Deum Deorum in Sion.

Ps/al. 83. 7.

MEDITATIO XLVIII.

DE BONIS QUAE IN STA-  
 tu Religioso continentur, &  
 quàm sit præstans hoc  
 beneficium.

**A**D huius beneficij excellentiã co-  
 gnoscendam, conijciendi sunt o-  
 culi in miseras huius mundi, ex  
 quibus Deus ducit Religiosum; &  
 in excellentias status, in quo eum  
 collocat; ac denique in premia, quæ illis promit-  
 tit, in hac & in futura vita.

I.

## PUNCTVM I.

a 1. *Ioan. 2.*  
16.b *Lucas 8. 15.*

**P** R I M V M considerandum, quod intra hunc mundum visibilem, qui bonus est, & factura Dei, sit alius mūdus in malitia fundatus, cuius principes est Dēmon, & cui? studiū, vt ait S. Ioannes, *a est concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* quare hic mundus est congregatio quædam hominum, qui se tradiderunt inordinato amor voluptatum carnalium, diuitiarum, & inanium honorum; vnde proueniunt b *spina culparum, & anxietates*, quæ mundanos homines pungunt, & *suffocant sementem* Diuinarum inspirationum; & postea sunt fomentum ignium æternorum. Malus hic mundus duas habet partes: altera est extra Ecclesiam, In fidelium videlicet congregatio, qui, quod fide careant, facilè in vitia innumera labuntur; nec sistunt donec in inferna præcipitentur. ex hoc mundo educit Deus sua misericordia omnes fideles, collocans eos in sua Ecclesia, vbi possint saluari.

Altera pars est intra ipsam Ecclesiam, quæ est congregatio peccatorū, inordinate appetentium & quærentiū delicias, diuitias, & honores seu dignitates, cū iactura charitatis, & periculo suæ salutis. nam isti ab hoc amore ducti, resistunt vocationi Diuinæ, sicut resisterunt tres illi, qui vocati ad cænā, cū venire nollēt, in perpetuū fuerūt ab illa exclusi. In medio huius mūdi habitant iusti, qui hęc licitè

possi-

possident; quibus tamen periculum imminet ab occasionibus, quæ oriuntur ex bonis temporalibus, quibus fruuntur; & ex malo exemplo hominum huius mundi, quibus cum habitant; & ob calumnias & molestias, quasi sustinet ab ijs, qui eadem concupiscunt, & quærunt quæ ipsi possident. quapropter Christus Dominus N. loquens de quodam diuite alioquin iusto, sed quia restitit vocanti, vt esset perfectus, dixit: *c facilius esse intrare camelum per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum calorum*; Ab hoc mundo adeo periculoso, educit Deus D. N. ex infinita sua misericordia Religiosos; collocans eos in statu ab his diuitijs, delicijs, & vanis libertatibus spoliato & immuni; vt sint liberi à peccatis, & periculis, quæ illa secum adferunt. quare tot beneficia accipio à Deo in Religione, quot sunt vitia, & angustia siue anxietates, quas video eos habere, qui degunt extra Religionem. quocirca continuas illi gratias agam. O dulcissime Iesu, vnde mihi tantum bonum, vt, sicut amico tuo Abraham, ad eum dixeris, *degrede de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui; & veni in terram, quam monstrauero tibi. gratias tibi quantas possum maximas, quòd me eduxeris de Vr Chaldæorum, igne videlicet quasi Dæmonû; ne in mearum cupiditatum igne conflagrarem, & perirem, & siquidem ab eo igne me procul remouisti, ne patiaris me ad eundem iterum accendere; accende potius me igne*

*c Matt. 15.  
24.*

*d Genes. 12.  
1.*

charitatis, ut omnino cupiditas in me extinguatur.

PER GAM tamen ulterius perpendere Diuinæ prouidentię in hac re adinventiones: ne cū aliqui adeo sint addicti bonis tēporalibus, quæ possident in mundo, cum periculo pereūdi, nisi illi ob amicas inspirationes, quibus vocantur, velint sponte illa relinquere; solet ipse quodammodo illos cogere, ut relinquunt; permittens eos in calamitates aliquas incidere, in morbos, in tentationes, & interdum etiam in grauia peccata; ut ad oculum videntes suum periculum, illud refugere studeant, sicut Angeli videntes e *Loth* tergiversari, & *disimulare*, quasi nollet exire e Sodomis, propter affectum ad res, quas ibi habebat, *apprehenderunt manum eius, & duxerunt eum, & posuerunt extra ciuitatem*: ne, descendente igne super eam, & ipse cum suis conflagraret. O Pater amantissime, quas tibi gratias reddam, quod *f me compuleris intrare in domum tuam*, ut ignem effugerem, quo mundus conflagraret; conferua me intra illā, etiam vi laborum & calamitatum; quō liberatus ab ignibus, qui mihi minantur, pręmia consequar, quæ me expectant. Amen.

e *Genes. 19.*  
16.

f *Luca. 14.*  
23.

PUNCTVM. II.

DEINDE considerandum, quod Religio-  
sus status, valde excellenter contineat  
in se tria genera bonorum; *Primum est bonum*

HONOR

HONESTVM, quod omnes virtutes complectitur, tam morales quam Theologicas, cum omnibus donis Spiritus Sancti. *Secundum* est bonum DELECTABILE, quod complectitur a *Pacem Dei, quæ exsuperat omnē sensum;* Et gaudium Spiritus Sancti, cum omnibus delectijs, quas adferunt opera virtutum. *Tertium* est bonum UTILE, quod complectitur omnia media, apta ad conseruandam & augendam vitam animæ, & consequendam æternam, & etiam quæ iuuant ad transigendam vitam corporis temporalem, cum emolumento Spiritus. Totum hoc eminentissime inuenitur in Religione; ita vt de ea dicere liceat quod sapiens dixit de sapientia Diuina: *b uenerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas, & diuitiæ plurimæ per manus ipsius: & ignorabam quoniam horum omnium mater est.* Et ita est, quod Religio sit verè Mater omnium virtutum, in sua perfectione: illa enim est, quæ eas nutrit, & lacte suæ doctrinæ alit, facitq; vt crescant, per illa media, quæ adhibet, vt actus suos exerceant; clauditq; illas vestibis votorum intra domum suam, ne euagentur extra, easq; extollit ad tantam altitudinem, vt certent cum Angelica perfectione. nam (vt ait S. Basilius) non est aliud Religio, quàm transitus quidam ab humano more viuendi, ad eum quem Sancti habent in cælo; & ex similitudine eius, quod in cælo sit, cognosci potest vita, quam Religiosi profitentur in terra.

a Philip. 4.

7.

b Sapi. 7. 11

Reg. 8. ex  
fusis. & de  
consti. Manasti. c. 19.

c Rom. 14.  
17.

Nam Religiosi specialem hic possessionem accipiunt c Regni Dei, quod est *iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*; qui particulari sua assistentia, Pater est omnium istorum generum honorum, quorum Religio est Mater, quibus filios suos replet. O Pater amantissime, gratias tibi, quod me deduxeris ad habitandum, in domum Sanctitatis; faciens me eius filium, quæ Mater est virtutum, ut simul cum illis nutriar. Audi anima mea, consilia

d Prou. 7.1.  
c Cap. 6.20.

Matris tuæ dicentis: *d Fili mi custodi sermones meos, & precepta mea reconde tibi; e conserua precepta Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ; & viues, non vitam quam solebas, sed aliam supra humanam, vitam sanctam, hilarem, pacificam, coelestem ac Diuinam. Incipe statim exequi, quæ illa iubet, & experieris re ipsa, quod promittit.*

IN vnoquoque trium horum bonorum, licet discurrere in particulari ac perpendere, quod Religio sit Mater charitatis, contemplationis, temperantiæ: &c. & deliciarum, ac fructuum, quæ ab eis proueniunt, ut in exemplis puncti sequentis apparebit.

## PUNCTVM III.

AD bene cognoscendas inæstimabiles huius status diuitias, considerandum est colloquium S. Petri cum Christo Domino

a Matt. 19.  
27.

Luca 18.28.

N. quod referunt Euangelistæ his verbis; *respondens Petrus dixit Iesu: Ecce nos reliquimus? omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?*

Iesus

Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit. In hac interrogatione Petri, & responsione Christi, perpendendum est, quod Religio sit quoddam admirandum pactum inter Deum & hominem, quo homo offert se facturum summum quod potest propter Deum; Deus verò offert homini propterea excellentissimos fauores & præmia.

### Quid faciat Religiosus erga Deum.

**P**RIMUM ergo perpendam, duo esse, quæ Religiosus facit erga Deum expressa hic a S. Petro. *Primum* est, relinquere quæcunque relinquere possunt: nam voto **P**AUPER-TATIS renunciat dominio bonorum temporalium, quæ possidet, & iuri in illa, & voluntati ad ea amplius quærenda; ita ut si totus mundus ipse esset, totum relinqueret; contentus solum necessarijs ad vitam transigendam; idque cum dependentia à voluntate prælati. Voto **C**ASTITATIS renunciat omnibus voluptatibus carnis, non solum illicitis, sed etiã licitis; quales sũt in Matrimonio; renuciãs omni iuri

I.



habendi vxorem, filios, aut familiam, & ad conferuandam hanc puritatem carnis, offert se, ad eam per pœnitentiam mortificandam clausura & custodia sensuum: Voto OBE-  
 DIENTIÆ, renunciat propriæ libertati, offerens se ad abnegandum proprium iudicium, & propriam voluntatem, vt faciat illam quæ est, & Dei Prælatorum, qui Dei nomine ipsum gubernant. Ad quod præstandum, expedit se à Patre, matre, fratribus, amicis, vicinis, & relinquit propriam Patriam; omnes ita abnegando atq; si illos non nosset; paratusq; est ad sanitatem & vitam profundendâ, quando lex charitatis & obedientia id exigere. Ex quo intelligitur, quod religiosus offerat Deo, ex se ipso, & omnibus rebus suis, perfectum quoddam holocaustum: dans illi, vt ait S. Gregorius, quidquid habet, scit, & potest. Sed quid magnum dulcissime Iesu, quod ego tale holocaustum de me offeram in tuum obsequium; siquidem eu aliud multo maius in meâ utilitatem obtulisti: tu renunciaſti rebus omnibus huius vitæ, vt mihi remedium adferres; æquum est ergo, easdem vt ego relinquam, quò tibi seruiam.

ALTE RV M, quod Religiosus offert, est, sequi Christum D.N. ita vt quisque iuxta facultates suas imitetur clarissimas virtutes, quæ in illo eminuerunt, & consilia perfectionis, quæ ipse nos docuit: quem aspiciunt tanquam exemplar vitæ suæ, & cum eo familiariter agunt in oratione, b *sequentes hunc*

S. Basiliius  
 Reg 8. ex  
 fusif.

S. Greg. ho-  
 milia 12.  
 in Ezechiel.

b Apocal.  
 14.4.

Agnum

Agnum quocunque ierit, nunquam ab illo aut oculos auertentes, aut ab eius consortio se procul separantes.

Quo verò appareat, plurima contineri in his duabus rebus, quas Deo offert Religiosus; licet eis applicare, quod S. Paulus dixit de Sanctis antiquis: nam præclara e fide sicut Abraham, exeunt de terra sua, & è domo Patris sui: vitam ducunt tanquam peregrini, expectantes ciuitatem habentem fundamenta, cuius Artifex & Conditor Deus: Et sicut idem ille Abraham, offerunt in holocaustum filium suum vnigenitum Isaac, iugulantes obedientie voto propriam suam voluntatem, vt expleant Diuinam; confidentes quod possit Deus illam resuscitare cum vita meliore, quam prius haberet: Et, sicut Moyfes, denegant filiationem & nobilitatem huius mundi, eligentes potius cum iustis affligi, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias estimantes thesauro Aegyptiorum, improperium Christi, nihili facientes hominum iudicia; nam inuisibilem tanquam videntes sustinent. Hac fide exeunt ipsi à tyrannide Pharaonis, qui est Dæmon, transeuntq; mare rubrum siccis pedibus, penetrantes & deiciunt murum difficultatum, quæ remorantur ingressum in terram promissionis æternæ; obdurant ora leonum, propriarum videlicet passionum, extinguunt impetum ignis, suarum cupiditatum; conualescunt de suis infirmitatibus & imbecillitatibus,

c Heb. 11. 8.

c Hebra. 11.

24.

*fortes facti sunt in bello, & pugna tentationum, circumeunt in melotis & pellibus caprinis, vestibus scilicet rudioribus & asperis cilicis; egentes, esurientes & sitientes; in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terra, excellentem. hanc vitam tenentes, vt vestigia sequantur ducis sui Iesu, quibus dignus non est mundus.*

QUANDO hæc duo prædicta præstitero, sicut S. Petrus, in virtute fidei, & confidentiæ in gratia & Omnipotentia Saluatoris, poterò eidem dicere: *quid ergo erit mihi!* O Saluator dulcissime, non hoc intendo, vt tibi propter mercedem seruiam; satis enim magnum est præmium, tibi seruire, quia tu talis es: sed vt imbecille cor meum excitem, dic mihi quæso, *quid mihi erit?* quod reddes mihi mihi præmiũ propter ea, quæ amore tui facio?

### Quid faciat Deus erga Religiosum.

**M**OX perpendam, quæ Deus facit erga Religiosum, ea reducendo ad tria illa, quæ Christus S. Petro promisit, eoque ordine, quo ipse illa posuit.

I.

**P**RIMV M est, quod in die iudicij, daturus sit illi **S E D E M** & thronum excellentissimum, pro eo loco, quem deseruit in mundo, vt Religionem ingrederetur; ita vt, cum reliqui omnes homines comparebunt ante tribunal Christi, vt de eis iudicium feratur, sint Religiosi cum Apostolis, *sedentes*

*S. Aug. Be-  
da & alij*

dentem in throno gloriæ, tanquam iudices cum singulari gaudio & speciali honore, eo quod imitati fuerunt ipsum Iudicem supremum, in *paupertate, castitate, obedientia*, & in reliquis virtutibus, ad quas amplectendas, nobis in Euangelio consilium dedit; quia propendet valde, vt a *glorificet eum, qui ipsum glorificauerit, & eos exaltet*, qui, vt ipsi honor deferretur, se se abiecerunt, & *humiliarunt*.

a 1. Regum  
2. 30.  
b Matt. 23.  
12.

## II.

Colla. vlti-  
ma cap.  
ultimo.

SECUNDO promittit dare illi CENTVPLVM in hac vita; quod præmium interdum numerat, & in eodem genere redditur. nam (vt Calsianus ait, & ipsa experientia docet) qui domum vnã aut agrum, patrem, fratrem, amicum, aut fidelem famulum, vt Religiosus fieret, reliquit; inuenit omnes domos, reditus, & Eleemosynas totius Religionis cum multis centenarijs personarum, quæ erga ipsum faciunt officium Patris, fratris, & amici, seruiuntq; ipsi maiori fidelitate, quàm seculares; & propter honorem, quem reliquit in mundo, recipit non quæsitum centuplum in honore. Et ipsa specialis Dei prouidentia, est centies millies pluris facienda, quàm omnia quæ reliquit. nam eo ipso, quòd eius amore reliquerim quæ habebam, recipit ipse in se, dare quæ conueniunt, modo superius indicat; osicut experti sunt ipsi Apostoli, cum Christus diceret; *e quando misi vos sine sacco, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid detulit vobis? at illi dixerunt; Nihil.*

Medit. 31.

c Luca. 22.  
35.

ALIAS redditur præmium in alio genere, quod est multo pretiosius; cum loco rerum quas dimisimus, tantâ nobis immittit consolationē, propterea quod ab eis nos expedierimus, ut excedat in centuplum eam, quam habuissemus, res nostras retinentes. Deliciæ enim Spiritus incomparabiliter excedunt delicias carnis, magisq; delectatur perfectus Religiosus, dum opprobrijs afficitur, & dum colit paupertatem; quàm ambitiosus & avarus, dum afficitur honore, & abundat diuitijs. Et ut etiam in hac re securos nos faceret Saluator noster, adiecit (S. Marco teste) qui sua reliquerit propter Christum, accepturum centies tantum, *dum persecutionibus*. O Pater amantissime, quas tibi gratias reddam, quod me ad tuam domum deduxeris? verè siquidem, *e melior est dies vna, in atrijs tuis, super millia extra illam; præferoque abiectus esse in domo Dei magis, quàm habitare & honorari in tabernaculis peccatorum: neque maior vllus honor, aut maiores deliciæ esse possunt, quàm viuere sub tua protectione. Quid possum, Domine, propter te relinquere, pro quo tu non reddas centuplum? si patres meos desero; tu succedis, ut mihi sis Pater; si hereditati renuncio, tu es hereditas mea; si omnia reliquero, tu mihi es omnia. O cambium cæleste! O Diuina permutatio, accipe me Domine in tuum, siquidem adeò liberaliter tradis te ipsum in meum.*

S. Basl. de  
constit. mo  
nas. c. 7.

d. Marci.  
10, 30.

c. Psal. 83. 11.

III

TERTIO promittit VITAM AETER-  
NAM.

NAM, addens ijs quæ omnibus fidelibus pro-  
 misit, specialem quandam prouidentiam,  
 deducendi illos ad eam vitam, per media a-  
 deò securo, vt eadem obtineant multò facili-  
 us, & cum maiori præminencia. Quamo-  
 brem dicunt Sancti, perseverantiam in Reli-  
 gione, signum esse prædestinationis, nam in  
 præmium quòd renunciauerit proprio iudi-  
 cio, & sui ipsorum gubernationi, Deus ipse  
 singulari cura eos gubernat, vt felix & fortu-  
 natum præmium consequantur. Gaude, ani-  
 ma mea, quòd te Deus elegerit ad felicem  
 hunc statum; sit tibi cella cælum, viuenti in  
 ea puritate, qua Angeli viuunt in cælo. si enim  
 in ea perseveraueris vsque ad mortem,  
 ex ea deduceris in cælum, vbi  
 regnes cum Christo  
 in æternum A-  
 men.



MEDI-

*S. Bernar.  
 ad fratres  
 de monte  
 Dei  
 S. Lauren.  
 Iustin.  
 de perfe.  
 monas. con-  
 uers. c. 7.*